

The *Lucula noctis* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LN/index.html>)

Scriptura sacra au

Accedat ad idem Crisostomus super Matheum et dicat:  
“In scripturis enim sacris ignorans invenit quid discat,  
contumax quid timeat, laborans premia, pusillanimis  
mediocris iustitiae cibos, qui etsi pinguem non  
faciunt animam, mori tamen non permittunt.  
Qui autem magni animi est, invenit ibi spirituales  
escas, quae ducant eum prope ad angelorum  
naturam. Qui vero est a dyabolo vulneratus, invenit  
ibi cibos medicinales et salutem per penitentiam.”

*Lucula noctis*, 37 (E. Hunt ed., p.317, ll.103-110).

---

cf. Ioann. Chrys. *In Matth. Homel.* i.5 (PG 57.19-20)

In scripturis enim ignorans invenit quid discat,  
contumax quid timeat, laborans premia, pusillanimis  
mediocris iustitiae cibos quae et si pinguem non  
faciunt animam, mori tamen non permittunt.  
Qui autem magni animi est invenit ibi spirituales  
escas quae per ducant eum prope ad angelorum  
naturam, qui uero est vulneratus a dyabolo invenit  
ibi cibos medicinales et salutem per penitentiam.

Crisostomus super illud Matthei XXII.: Omnia parata  
sunt.

*Manipulus florum*, Scriptura sacra au

Quidquid quaeritur ad salutem,  
totum jam adimpletum est  
in Scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi quod discat.  
Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri iudicii  
flagella, quae timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias  
et promissiones vitae perpetuae, quas manducando  
amplius excitetur ad opus. Qui pusillanimis est et  
infirmus, inveniet ibi mediocres iustitiae cibos, qui etsi  
pinguem animam non faciunt, tamen mori non  
permittunt. Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi  
spirituales escas continentioris vitae, quae perducant  
eum prope ad angelorum naturam. Qui percussus a  
dyabolo, et vulneratus est in peccatis, inveniet ibi  
medicinales cibos, qui eum per poenitentiam revocent  
ad salutem.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in  
Matthaeum*, 41 (PG 56, col.862).